



Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius
foundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum
MCCCLXX. II. Coenobii ...

Trithemius, Johannes

Francofvrti, 1601

LXXVIII. Ioannes Tritem. Ab. Span. Fratri Ioanni de Francofordia Salutem.

urn:nbn:de:0128-1-17336

veraciter in vobis extiterit, veras Christi sponsas efficiet. Omnipotens Deus in suo vos ardere faciat amore, quem vt nobis reddatis placabilem orationibus vestris in sollicitudine rogamus laborum nostrorum memores, quos pro utilitate vestra multis iam annis periculum communi. Valet in Domino Iesu sine macula conuersantes. Ex Neomercii 22. die mensis Septembris Anno Christiani 1506.

LXXVIII.

IOANNES TRITEM. AB. SPAN. FRATRI IOANNI
de Francfordia Salutem.

DILECTE frater, intendimus monasterium nostrum Spanheim ex certis & rationabilibus causis dimittere, ipsiusque Abbatiam, quam annis quatuor & viginti possidemus resignare: ne autem propterea cœnobium Christi sponfarum in Sebach aliquod incurreret periculum, eius commissionem per episcopos Spirenses nobis factam ad humiliorem valeant inuenire visitatorem. Quocirca tuæ charitati committimus & mandamus, quatenus ea quæ concernunt officium tibi commissum exequaris & custodias omni diligentia & sollicitudine, quemadmodum audiisti à nobis, cum presentes in ipso monasterio nuper essemus. Vagos extra cœnobium intermitte discursus, & claustram solus non dominum. In cæteris ad præscriptam tibi normulam te studeas conformare. Vale, Ex Neomercii 22. die mensis Septembris, Anno 1506.

LXXIX.

IOANNES TRITEM. AB. MONASTERII S. IACOBI APOSTOLI
in suburbio ciuitatis Herbip. Iacobo Tritemio charis.
fratri S.

PARVI desiderio tuo quantum mihi licuit dulcissime frater, & quarundam epistolarum mearum, quas scripsi à die exitus mei de Spanheim vsque in præsentem diem, exemplaria quotquot remanserant in præsentem volumine comportavi. Nec enim omnium penes nos exemplaria retinuiimus, propterea quod sæpius festinare in scribendo cogebamur. Congessimus autem in hoc ipso volumine sexaginta sex epistolas nostras, & duodecim alienas ad nos missas coniunximus, quæ omnes cum ista quidem ad te simul faciunt nouem & septuaginta, in quibus more nostro familiari nobis scribendi genere sumus vsi, non pro admiratione nostri sequentes eloquentiam, quæ in nobis nulla fuit vnquam, sed scholastico sermone, quo facile intelligamur. Scis autem quod prima die mensis Aprilis monasterium meum exiui, nunquam illuc postea reuersus vsque in hunc diem. Exiui autem anno Christianorum millesimo quingentesimo quinto, prima vt diximus Aprilis & hanc sancti Iacobi abbatiam suscepimus quintadecima die mensis Octobris anni sequentis. Omne igitur tempus inter exitum nostrum de Spanheim & introitum huc, menses effluerunt decem & octo diesque tredecim. Huius temporis fuerunt epistolæ præfentes, quas tibi tradidimus suauissime frater, non ad eruditionem tuam, sed potius ad memoriam nostri. Illas vero quas prius scripsimus dimisimus in Spanheim, nec dum in ordinem coadunatas, quas si quando redegerimus in ordinem habere volueris, facile consequeris. Eas autem quas postea dedimus, aut in futurum scribemus alio comprehensas volumine tibi quoque suo tempore non subtrahemus. Vale ex monasterio nostro sancti Iacobi apostoli maioris in suburbio ciuitatis Herbipolensis 28. die mensis Decembris Anno Christi 1506.

*Finit Epistolarum Spanhemensium, Tritemii
Abbatis.*